

ORIGIN OF THE SECOND PUNIC WAR (219/18 B.C.) (21.1-2 & 18-19)

The origin of the Second Punic War is a famous *Kriegsschuldfrage* (“war guilt”) issue of the ancient world. At the end of the First Punic War in 241 B.C., Carthage lost control of Sicily and turned to Spain to rebuild her empire, first under Hamilcar, then under Hasdrubal. Rome made a treaty with the latter in 227 B.C., whereby both powers agreed not to cross the Ebro River (in northern Spain) in arms. After subduing much of southern Spain, Hannibal in 219 B.C. laid siege to Saguntum, an ally of Rome, but south of the Ebro. Rome protested to Hannibal and to Carthage, but was rebuffed on the grounds that Saguntum had not been an ally of Rome at the time of the Treaty of Lutetia (241 B.C.) ending the First Punic War.

1 [1] In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius
2 professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile
3 quae unquam gesta sint me scripturum, quod Hannibale duce
4 Carthaginienses cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus
5 ullae inter se civitates gentesque contulerunt arma neque his ipsis tantum
6 unquam virium aut roboris fuit; et haud ignotas belli artes inter sese sed
7 expertas primo Punico conferebant bello, et adeo varia fortuna belli
8 ancepsque Mars fuit ut propius periculum fuerint qui vicerunt. Odiis etiam
9 prope maioribus certarunt quam viribus, Romanis indignantibus quod
10 victoribus victi ultro inferrent arma, Poenis quod superbe avaraeque crederent
11 imperitatum victis esse.

12 Fama est etiam Hannibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem
13 patri Hamilcari ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello
14 exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum tactis sacris iure
15 iurando adactum se cum primum posset hostem fore populo Romano.
16 Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissae: nam et
17 Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam et Sardiniam inter
18 motum Africae fraude Romanorum, stipendio etiam insuper imposito,
19 interceptam.

20 [2] His anxius curis ita se Africo bello quod fuit sub recentem Romanam
21 pacem per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo
22 Punico imperio gessit ut appareret maius eum quam quod gereret agitare in
23 animo bellum et, si diutius vixisset, Hamilcare duce Poenos arma Italiae
24 inlaturos fuisse quae Hannibalis ductu intulerunt.

After Hannibal lays seige to Saguntum, Rome sends a series of embassies to Carthage and to Hannibal in Spain, without result. A final embassy is then sent to Carthage, to inquire whether Hannibal was acting with the approval of Carthage. If so, the embassy is empowered to declare war.

25 [18] His ita comparatis, ut omnia iusta ante bellum fierent, legatos maiores
26 natu, Q. Fabium M. Liuium L. Aemilium C. Licinium Q. Baebium in
27 Africam mittunt ad percontandos Carthaginienses publicone consilio
28 Hannibal Saguntum oppugnasset, et si—id quod facturi videbantur—
29 faterentur ac defenderent publico consilio factum, ut indicerent populo
30 Carthaginensi bellum.

31 Romani postquam Carthaginem venerunt, cum senatus datus esset et Q.
32 Fabius nihil ultra quam unum quod mandatum erat percontatus esset, tum ex
33 Carthaginiensibus unus: "Praecepta vestra, Romani, et prior legatio fuit, cum
34 Hannibalem tamquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis;
35 ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. Tunc enim
36 Hannibal et insimulabatur et deposcebatur; nunc ab nobis et confessio culpa
37 exprimitur et ut a confessis res extemplo repetuntur. Ego autem non privato
38 publicone consilio Saguntum oppugnatum sit quaerendum censeam sed
39 utrum iure an iniuria; nostra enim haec quaestio atque animadversio in
40 civem nostrum est quid nostro aut suo fecerit arbitrio: vobiscum una
41 disceptatio est licueritne per foedus fieri. Itaque quoniam discerni placet

42 quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant, nobis vobiscum
43 foedus est a C. Lutatio consule ictum in quo, cum caveretur utrorumque
44 sociis, nihil de Saguntinis—necdum enim erant socii vestri—cautum est. At
45 enim eo foedere quod cum Hasdrubale ictum est Saguntini excipiuntur.
46 Adversus quod ego nihil dicturus sum nisi quod a vobis didici. Vos enim,
47 quod C. Lutatius consul primo nobiscum foedus icit, quia neque auctoritate
48 patrum nec populi iussu ictum erat, negastis vos eo teneri; itaque aliud de
49 integro foedus publico consilio ictum est. Si vos non tenent foedera vestra
50 nisi ex auctoritate aut iussu vestro icta, ne nos quidem Hasdrubalis foedus
51 quod nobis insciis icit obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Hiberi
52 mentionem facere et quod diu parturit animus vester aliquando pariat."

53 Tum Romanus sinu ex toga facto, "Hic" inquit, "vobis bellum et pacem
54 portamus; utrum placet sumite." Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret
55 utrum vellet, succlamatum est; et cum is iterum sinu effuso bellum dare
56 dixisset, accipere se omnes responderunt et quibus acciperent animis iisdem
57 se gesturos.